Sapientia non valentia



Tetrastichon encomiasticum de Nobili Ranzouiorum familia.

ANTONII CAUCII.

Gloria num ne Artes potior comitetur an arma,
Judicibus dubijs lis agitata fuit:
Pallas at hanc in Ranzouia modò gente diremit,
Artibus atq; armis par decus esse docens.

Vel sic

Artes num laudem mereantur an arma priorem,
Certatum uarijs audio judicijs,
Quæ nunc composuit Ranzoa in gente Minerua,
Dimissiq; pares Actor et ipse reus.

Vel sic

Sub dubio prætore diu lis ista pependit  Vel. Judice sub dubio longū lis ista pependit
Artibus ante armis laus sit habenda prior.
Quam dirimens in Ranzonio nunc stemmate Pallas
Pars, ait, alterius neutra carere potest.